



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVIII. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm Scyllatinvm.  
Visitationem ecclesiarum Tauriatinensis & Turritanae imponit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

2. Cor. 10.

Paulus apostolus dicat: *In promptu habentes vulcisci omnem inobedientiam.* Sed ista iam transeant, ad nostra redeamus. Si enim recte agit, ego domino Natali non possum coniunctus non esse, cuius me affectui valde esse debitorem noui.

## EPISTOLA XXXVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SCYLLATINVM.

Visitationem ecclesiarum Tauriatinensis &  
Turritanæ imponit.

*Gregorius Ioanni episcopo Scyllatino.*

Ioan. diac.  
libro 3. c.  
22.

**O**BITVM Paulini Tauriatinensis ecclesiæ, sed & illius Turritanæ ecclesiæ antistitutum, directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutarum ecclesiarum fraternitati tuæ operam solenniter delegamus, quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorū, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est, in patrimonio eiusdem a quoquā præsumatur ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictas ecclesiæ ire properet, & affluidis adhortationibus clerum plebemque earumdē ecclesiarum admonere festinet, vt remoto studio, uno eodemque consensu tales sibi præficiendum expertant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerandis Canonibus nullatenus respuitur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & directionis tuæ testimonio literarum ad nos veniat consecrandus. Commonentes etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos earumdem ciuitatum, in quibus visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri: prouisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis vel meriti laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem si qua sunt in ipsius parochia constituta, sub tua cura disponito, neque quoisque illic prius fuerit episcopus ordinatus, esse concedimus, vt solicitudinis tuæ vigilantia, proposito suo congrua, Deo iuuante, actione respondeat. Data pridie Kalendas Martii, indictione decima.

Grat. diff.  
61. cap. 11.